

360
145

Excellentissime Doctrinae Viro

Celeberrimo Walchio

G. Wernsdorffius S. D.

Quod adeo benevole excepisti arreptem ad amicitiam TVAM,
et volupe est et honorificum. Studebo certe quidem eam servare
michi sempiternam et, si potero, ea me dignum reddere.

Illustris VESTRAE academiae epistola, ad collegium nostrum missa, ali-
quanto post allata fuit, quam ego meam ad TE scripseram. Nunc
civitatis sumptibus Acta Saecularia exscribuntur typis, cum omnibus
programmatibus, orationibus, exterorum gratulationibus, academiarum
epistolis etc. constituentz volumen satis grande. Mea tamen orati-
onis, peculiari inscriptione praefixa, exemplum ad TE transmittam,
simulac perfectum opus et mittendi opportunitas fuerit.

Non displicere VBI meum conatum edendi Aeneam Gargaeum, laetor.
Quod vero juvare institutum meum et docere me habitacula codicum,
benevole voluisti, maximas habeo gratias. Montefalconii bibliothecam
jam consulueram, sed Lambecianam nunc requiro. Salivam praecipue
movent Parisini codices. Utar amicissimo TVO consilio et adibo ad
Eundem. Straeberum, nisi prius fuerit alio modo desiderium meum expletum.

Elasim

Etenim nuper Patriciorum nostrorum quidam, e Gallia redux, mihi narrabat se amicitiam junxisse Parisiis cum Caperonerio, regiae bibliotheca praefecto. Statim obsecrabam, ut per eum mihi conciliaret lectiones Parisinas Aenea. Promisit is liberaliter. Jam secundus mensis est et expectatur responsum. Interea, ne expectandi patientia evanesceret, alius labor isq; inexpectatus me occupavit. Summi viri et mihi longe carissimi, D. Kraftii morte, imperfecta Bibliotheca Theologica ejus mansit. Jam sociorum ejus, qui vivo symbolas contulerant, aetate primus sum, ideoq; studium continuandi diarii illius mihi videtur incumbere. Duas jam partes voluminis XIII. cum sodalibus meis elucubratas, foras misi. Sed saepe copia destituitur novorum scriptorum, quae in academiis prodeunt. Quare magnopere Te rogo, VIR EXCELLENTISSIME, primum, ut eos, qui sua interesse putant, ut sua scripta in diariis commemoventur, moneas doceasq; ut eadem Lipsiam ad bibliopolam Breitkopfium mittant: deinde, ut ipse academia ^{tenentia} programmata et disputationes theologicas novas, quas nullo negotio consequi potes, cum in academia vivas, in meam gratiam colligas

et

et ad me transmittas. Transmissis autem facile et sine ullis impensis
 Tuis, si opportunitate nundinarum Lipsiensium usus, per aliquem aut
 mercatorem aut studiosum tales fasciculos, Breitkopfio ~~inferitas~~ in-
 scriptos, Lipsiam transferendos curaveris. Eo modo et mihi grati-
 ficaberis et rem literarum ipsam iutabis. Ego vicissim, quantum
 tero, Tuae voluntati inserviam libenter.

Liceat interrogare, an Vestra bibliotheca contineat Front. Ducei au-
 ctarium bibl. Patr. Hunc librum novam tota Prussia non reperiri.
 Nunc eundem Lipsia quoque desiderari, intelligo.

Sume Venerab. Parenti Tuo salutem dico honorificentissime et summa
 cum animi pietate. Editio responsi Jenensis in causa Helmstad.
 Schuberti nunc etiam Kraftii morte, interrupta videtur. Auctor
 vixit Pops, cui Vestri premium adjudicant, repertus nondum est.
 Honorarium premium S. V. Facultati Jenensi pro Responso debitum
 Breitkopfius persolvat et in Kraftii rationes referat: nisi id jam factum
 est. Ceterum Vale, Vir Eruditissime, meq. Tuo favori habe comen-
 datissimum. Ser. Gedani die IV Jan. obcc LIX.



Monsieur
 Monsieur Jo. Ern. Immanuel Walch
 Professeur tres-celebre et Directeur de la
 Societe de la L. de Jena etc.
 à
Jena

361v